

Michael Cobabus

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Michael Cobabus, S.S.  
Theol. D. & Mathematicum Professor publicus, Ad Exequias Quas ... Henricus  
Ridemann/ Senator huius Reipub. gravissimus, Moestissimus Parens Filiolae ...  
Dorotheae, Infanti mellitissimae paratas cupit, Omnes omnium ordinum Cives  
Academicos studiose invitat**

Stochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775775967>

Druck Freier  Zugang




Cobabus, M.

in


<sup>D</sup>  
~~H.~~ **Ridemann.**

<sup>5</sup>  
Rostock, 1648.

49







PROGRAMMA

*Quo*

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

MICHAEL COBABUS,

Theol. D. & Mathematicum  
Professor publicus,

AD EXEQVIAS

Quas:

*Consultissimus ac Prudentissimus*

HENRICUS *Ridemann*/

Senator hujus Reipub. gravissimus,  
Mœstissimus Parens  
Filiolæ suæ desideratissimæ

DOROTHEAE,

Infanti mellitissimæ,  
paratas cupit,

Omnes omnium ordinum Ci-  
ves Academicos studiosè  
invitat.



STOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,  
Acad. Typ. Anno M. DC. LVIII



**N**ter multa magnifica, & hæc Deme-  
trii illius Cynici vox est: nihil, inquit,  
mihi videtur infelicius eo, cui ni-  
hil unquam evenit adversi. Nec ab-  
simili argutiâ Bias olim, ελεγε ατυχῆ  
τὸν ατυχίαν μὴ φέροντα. dixit infelicem, qui  
infelicitatem non ferret. Habent enim  
hoc secundarum rerum successus, ut frangant atque effami-  
nent animos, nisi interveniat aliquid, quod humana sortis  
admoneat. Eamque ob causam felicitatem cum vino com-  
parat Archytas Pythagoreus: οὐ μὲν ἀλλὰ, inquit, πόσις πᾶσι μέ-  
λειται, ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἡμετέροις, ἀλλ' αὐτοῖς αὐτοῖς, ὡς αὐτὸν οὐκ ἔστιν  
καμῆλοῦ σκῆμα πᾶσι ἀναδύει τὸ δόξαται. atqui majores morbos  
gignere solet ea, quæ ab omnibus appellatur Felici-  
tas, tanquam vinum, inebrians successibus mentem.  
Quare sicut ad valetudinem vel maximè facit aperiri quan-  
doque venas, extrahi sanguinem, aduri membra & circum-  
cidi, quæ sine totius pernicie corporis herere non poterant:  
sic ad salutem animæ quoque multum conducere existiman-  
dum est, si prospera ac læta, quæ eveniunt forte, ærumnis ac  
miseriis interstitiis distinguantur nonnunquam, calamitas-  
que ac infortunium aliquod per atatem premat ac vexet.  
Semper enim esse felicem & sine morsu animi transire vi-  
tam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Constat  
autem

antem diversis rerum natura, laetis, tristibus, commodis, in-  
commodis: nescit altera, qui semper in alteris. Calamitas  
virtutis occasio est, quæ sine adversario marcescit ac languet.  
Quapropter DEUS optimos quosque non in deliciis habet:  
sed experitur, indurat, sibi illos præparat; sibi, inquam, &  
suis oculis, quia magnus ille Editor hoc spectaculo maxime  
delectatur. Sicut in castris quoque periculosa fortissimis im-  
perantur. Dux lectissimos mittit, ait Sapiens, qui no-  
cturnis Hostes aggrediantur insidiis, aut explorent  
iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum qui  
exeunt, dicit: malè de me Imperator meruit: Sed,  
Bene judicavit. Et paulò post: Hanc itaque rationem  
dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis  
præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in qui-  
bus certior spes est. Nam paucis admodum datum est  
sapere inter prospera, cum ex votis omnia, atque vel supra vo-  
ta etiam succedunt. Et sumus plerumque meliores, quando  
cum malis nobis est conflictandum. Ne Parentes quidem  
puero cultrum aut ferrum in manu relinquunt, et si valde se  
adfluctanti: prævident enim lesionem. Cur ergò DEUS  
nobis ad perniciem indulgeat, qui verè pueri, nec salutaria  
gnari sumus petere, nec nocitura abjicere. Quæ putatur pœ-  
na, medicina est, verè dixit Hieronymus. Tunc cogitamus  
denum nos esse homines, tunc revocamus ad memoriam de-  
licta, tunc DEUM metimus vindicem, & miseratorem  
exoramus. Quid igitur est, quod conqueramur nimio opere,  
& expostulemus cum DEO, si mali quandoque immittat  
quippiã, & aliquã aliquando nos admoneat plagas? Vetus  
illud



illud fiat & sapiens, ἔπειθεῖς: & quò ille ducit aut abducit  
Imperator, sine murmure sequamur. Princeps Poetarum  
rectè: ἡμεῖς δὲ μεγαλοῦ Διὸς παρθόμεθα βελῆ

Simus decretis magni Jovis obsequiosi.

Et nisi facimus, trahendi nihilominus aut impellendi sumus.  
Cur autem renitiamur? non Deus solum est, qui ita de no-  
bis statuit: sed & pater. Calcitriones isti & refractarii  
equi hoc consequuntur, ut verbera etiam aliquot excipiant;  
nec excutiant tamen jugum: Omnino levius omne malum  
fit, leniter ferendo. Una heic victoria ratio est, arma sub-  
mittre, nec pugnare. Navius olim:

Pati necesse est multa mortalem mala.

Qui interpretando auget, qui velut scalpit suum ulcus, facit,  
quod qui onus ad onus sibi addunt. Serio ista aut talia secum  
recogitavit hæctenus Vir Amplissimus ac Prudentissimus  
DN. HENRICUS RIDEMANNUS Reipub. Oppida-  
na Senator spectatissimus; atque exinde non parum solatii  
ac levamenti in domestico sibi percepit malo. Nam quamvis  
suam sibi suavissimam filiolarum diuturna morbi egritudine  
non sine acerbissimo doloris sensu videret affici: tamen nul-  
lum unquam impatientia edidit signum: sed equo ac lenitu-  
lit animo, quam sibi à DEO calamitatem interpretabatur  
immissam; in quo boni Christiani partibus egregie fuit per-  
functus. Verissimum autem comperit, quod à divino viro  
dictum: nemini graviora imponere DEUM, quam ferre  
ac vincere que valeat. Ita nemo extra calamitatum aleam  
se positum reputare debet, nisi humanis rebus valedixerit  
prorsus, & totum hoc vita nostra pelagus emensus fuerit.

Sed

Sed ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec  
perturbari his, quae declinare nostra potestatis haud est. In  
regno enim nati sumus: **DEO PARERE LIBERTAS.**  
Exponemus nunc vitæ ipsius brevissimæ historiolum, eâ fide  
quâ accepimus. Itaque patriam sibi sortita est Rostochium:  
ubi Anno c. Io. Io. c. lvi ad d. VI. Decembris inter nonam  
& desimanam matutinam, ab honestissimis parentibus genita  
prodiit in lucem. Patrem, ut discimus, habuit **HENRI-**  
**CUM RIDEMANNUM**, Reipub. hujus Senatorem,  
virum prudentiâ ac integritate admodum spectatum. Ma-  
trem **MARGARITAM Schröder**, / faminam singu-  
laris exempli. Avum paternum sortita fuit **HENRI-**  
**CUM RIDEMANNUM**, Civem & Mercatorem  
Chilonii in Holsatia primarium, virum antiquæ fidei & vir-  
tutis; Aviam paternam **ANNAM Dreger**, / nunc præ-  
sentem, sanctissimis & incorruptissimis moribus matro-  
nam. Avum maternum habuit **JOANNEM Schröder** /  
Civem & negotiatorem apud nos integerrimum; Aviam  
maternam **MARGARITAM, MARTINI**  
**SCHRODERI** Civis & cerevisarii quondam laudatissi-  
mi filiam. Hisce ex parentibus ut vitam, ita & indolem  
traxisse præclaram oportuit, siquidem ex iis conjecturam ve-  
limus facere. Ut enim bona semina in ortus suos excrescunt;  
ita plerumque liberi evadunt Parentibus similes, & in ju-  
mentis ipsis quoque parentum virtutem conspiciere licet. Hinc  
præclare *Venusinus Vates*:

Fortes creantur fortibus, & bonis.  
Est in juvenis, est in equis patrum

Virtus

*Virtus: nec imbellem feroces*

*Progenerant aquila columbam.*

Et Aristoteles omnium bonarum artium Dictator perpetuo egregie scribit: Meliores ex melioribus nasci probabile est, *Εἰκός βελτίος εἶναι οὐδὲν ἐκ βελτίων.* Quamvis autem mollioris sexus fuerit defuncta, nullis tamen praclusam virtutem esse novimus, quò minus sese ad virorum gloriam attollere queant. Optimam quidem spem de Parvula sua conceperant Parentes optimi: verum hoc gaudium sincerum ipsis esse diutius minimè licuit, cùm à festo Paschatos usque ophthalmia dextri oculi laborare cepisset. Malo huic, Deo benedicente, (sunt verba D. SIMONIS PAULI, S. R. M. Daniae ac Norvagiae Medici, ac Praelati Aarhusiensis, qui aegrotanti adfuit) cùm inventum esset remedium, lustrare quidem illa ac cætera obire, quæ fert infantia, languidula tamen, ac quæ pauculis post intermissis septimanis iis urgeri cepit Symptomatis, quæ adesse solent sive grassantibus morbillis, sive verminantibus, sive denique primò dentes proferentibus infantulis. Maxime autem dentitio funesta ac neci fuit; quippe cuius utriusq; maxillæ gingivæ, cùm incisoriis tum maximam partem maxillaribus instructæ, insigniter inflammatae tumescebant, usque adeò ut præ dolore illarum cibum solidiorem fastidiret omnem. Rarum autem & observatu dignum, intra biennium integrum non pullulasse caninos in hoc individuo dentes, qui alias complures, sed teneriori adhuc ætatula, infantulos compellunt abire in communem locum.

*Hæc*

*Hec ille. Ad istas, ut sic dicamus, incitas redacta ad d. XXII.  
Decembris circa decimam vespertinam, in ipso vitæ limine,  
placidissime finivit vitam, seculoque, ut Tertullianus loqui  
amat, digressa est. Certè, quo tempore Salvator gentium  
inter castæ virginis viscera latitans, jamque adultus in no-  
stram carnem gestivit prodire in lucem; eo illa jam tabescen-  
te in cinerem carne de ista sese subduxit luce. Cum ille caelo  
delapsus àe claustris materni uteri in terras meditatus ad-  
ventum fuit, hæc in cœlestes sedes de terris maturavit redi-  
tum. Ac ille quidem, ne nos æterni patris opus & fabrica  
periremus mortales, ut innocentem se pro nobis exhibuit vi-  
ctimam, ita & ipsa quoque puram se & immaculatam ho-  
stiam DEO suo obtulit. O beatum omni ex parte disces-  
sum! Vos quidem, Parentes, amisistis filiulam? Amisistis  
simul & metus multos, infinitamque sollicitudinum & cu-  
rarum materiem. Si publica, si privata curatius introspeci-  
tis, miseria & angor, & languor: & cum poetarum parente*

*--- δεχεται κλονὸν ὅτι κακῆ αἰῆς*

*Hæc quàm multos absorbit & absorbebit, vereor, istud  
πολέμῳ φόβῳ αἰματόεντῳ! Quæ tamen Christiani meritò fe-  
rimus, quamdiu illi visum, qui explorat & expurgat nos  
per hunc ignem. Mutare hæc potest supremus ille*

*Ζεὺς ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτοκται.*

*Jupiter qui belli quæstor & dispensator est hominibus.  
Ultimam nos modò emendemur, &*

*--- Per nostrum liceat scelus  
Iracunda Jovem ponere fulmina!*

*Extin-*

Extinctam fletis Infantem filiam ante tempus? O boni, non  
fit ante tempus, quod in omni tempore fieri potest. Ante  
diem nemo moritur, sed non omnibus dies idem. Stat sua  
cuique dies, ad quam quisque cum venerit, metam attingit.  
Ante diem non repositur, quod omni debetur die. Possent  
id verum esse, si in diem debitores fuissetis; merus debitor  
semper debet! semper itaque nutum creditoris sui observet,  
& semper in numero habeat, quod debet. Alium alio  
tempore fata comprehendent, neminem prateribunt. Fe-  
lices inter omnes miseras hoc uno Christiani, quod via no-  
bis per hac ad aliam vitam, in qua gaudiorum nec modum  
ullum esse scimus, nec finem.


Quamvis verò beatissimè defuncta nunc suo posita  
caelo, nec ullo vel splendidissimo exequiarum honore affici  
possit; tamen non negligenda ipsius reliquia sunt, quin omni  
honoris genere in spem communem Christianorum solenni-  
ritu terra, unde ortum duxerant, committantur. Id diem  
peragetur postea H. I., vestrum erit, **CIVES ACADE-  
MICI**, exequias frequenti comitatu deducere ac comitari.  
Ad quod officium eò præstandum promptius, Vos non modò  
hæc scriptio publica, sed & eximius demortua parens  
invitare debent.

P.P. ROSTOCHI d. XXVII. Decembris,  
Anno recuperatæ gratiæ clō lpc LIIIX.

Conventus fiet in æde Jacobæa.













Sed ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre  
perturbari his, qua declinare nostra potestati  
regno enim nati sumus: DEO PARERE  
Exponemus nunc vitæ ipsius brevissima historiam  
quæ accepimus. Itaque patriam sibi sortita est  
ubi Anno cIdo lxxLVI ad d. VI Decembri  
Et decimam matutinam, ab honestissimis patribus  
prodit in lucem. Patrem, ut discimus, habuit  
CUMRIDEMANNUM, Reipub. hujus  
virum prudentiâ ac integritate admodum specta-  
torem MARGARITAM Schröderi, fa-  
laris exempli. Avum paternum sortita fuit  
CUMRIDEMANNUM, Civem  
Chilonii in Holsatia primarium, virum antiqui-  
tatis; Aviam paternam ANNAM Drey-  
sentem, sanctissimis Et incorruptissimis ma-  
nam. Avum maternum habuit JOANNE  
Civem Et negotiatorem apud nos integerrimum  
maternam MARGARITAM, A  
SCHRODERI Civis Et cerevisarii quoniam  
mi filiam. Hisce ex parentibus ut vitam,  
traxisse præclaram oportuit, siquidem ex his co-  
linus facere. Ut enim bona semina in ortus  
ita plerumque liberi evadunt Parentibus sim-  
mentis ipsis quoque parentum virtutem consti-  
præclare Venissimus Vates:

Fortes creantur fortibus, Et

Est in juvenis, est in equis po-



the scale towards document  
Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No. 031